Margolinski
Marcus

DE
CHLOROSI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
AD
SUMMOS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXXI. M. JULII A. MDCCCLXV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
MARCUS MARGOLINSKI
BORUSSUS OCCIDENTALIS.

OPPONENTIBUS:

R. ROHDE, MED. ET CHIR. DR.
F. LEONHARD, MED. ET CHIR. DD.
T. BREWER, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS LANGE.

VIRIS

ILLUSTRISSIMIS, BENEVOLENTISSIMIS, OPTIME DE SE MERITIS

DR. STEINTHAL,

MED. PRACT., EX INTIMIS CONSILII SAN. REGII

NEC NON

DR. DOCTISSIMO S. ARNHEIM,

MED. PRACT.

HASCE

STUDIORUM ACADEMICORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Locum occupant eminentem inter corporis humani morbos ii, qui ex mutato sanguinis systemate originem ducunt; quod tanta vi physiologica, quantam habet sanguis in assimilationem, una ex parte perturbatio primaria compositionis phaenomena topica, altera ex parte affectio pathologica organi cujusdam, cui magna est tribuenda dignitas, quod pertinet ad assimilationem, mutationem sanguinis systematis efficere debet. Omnia sanguinis systemata mutata crases, morbos ex iis ortos dyscrasias vocamus. Anomaliae sanguinis discerni possunt: 1) secundum abnormem sanguinis quantitatem; 2) secundum abnormem ejus compositionem (qualitatem); quae mutationes profectae esse possunt: a) ex proportionibus inopportunis earum materiarum, quae secundum naturam in sanguine insunt; b) ex materiis ab sanguine alienis. Haec normalia producta esse possunt, sed quae non, ut fieri solet, diluuntur, saccharum, ut exemplo utar, sive excreta, quae in organis excernentibus perturbatis retinentur — urina, componentia bilem —, aut

extrinsecus sunt in sanguinem materiae illatae, ut venena, contagia. In numero morborum, qui ex abnormi sanguinis quantitate existunt, habetur plethora universalis, sive polyaemia, sanguis auctus, et anaemia, sive oligaemia, sanguis imminutus. Raro vero abnormitates solae inveniuntur, sed saepissime cum mutata sanguinis qualitate conjunctae. Mutationes sanguinis qualitatis pendent ab auctis atque imminutis rubris sanguinis globulis — Polycythaemia — Oligocythaemia —, ab albis sanguinis corpusculis auctis, quae tanta esse possunt, ut sextam, imo adeo dimidiam partem rubrorum efficere possint; id saepissime magnis in splenibus glandulisque tumefactis invenitur; qui morbus primum a Virchow descriptus est Leucaemia. Mutati qualitas sanguinis praeterea percipi potest, vel ex aucto, vel ex imminuto Fibrino — Hyperinosis — Hypinosis. Num statibus pathologicis albumen auctum in sanguinis sero effici possit, nunc certo nondum cognovimus; victu enim copioso augeri id potest. At albumen semper imminutum reperitur insufficiente victu, pravo nutrimento, morbis organorum digestionis diuturnis, nimiis excretionibus, ut in albuminuria, suppurationibus, galactorrhoea, sanguinis saepe iteratis depletionibus, in Malaria, Scorbuto. Imminutum albumen, cujus quantitas in sanguinis sero non magnum pondus habet atque fere

$^{8}/_{9}$ fixarum partium efficit, plerisque in casibus auctae aquae adjunctum est. Quantitas vero aquae sero admixtae, quae major est in viris, quam in feminis atque aetate provectiore augetur, in universum in iis morbis crescit, quibus permultae materiae fixae consumuntur, perpaucae restituuntur. Quantitas enim salium sanguinis, quae partim in sero inveniuntur, partim cum sanguinis corpusculis conjuncta sunt — in illo plus natrii chlorati, in his plus Kali phosphorici inest — etiam singulis regitur morbis. Natrium chloratum, quo in experiendo multum consumpsimus temporis, auctum est in his morbis: Scorbuto, Malaria, Dysenteria, Typho, exanthematibus acutis et aliis, imminutum in cholera, pneumonia. Adipis praesertim multitudo aucta reperitur in iis, qui per multos annos spirituosis sunt abusi; nec non nutrimentum aliquo momento caret. In morbis febrilibus saepe urea bilemque componentia, quae secundum naturam in sanguine insunt, aucta sunt; item pigmentum in sanguine interdum invenimus — Melanaemia. In sanguine dissoluto reperiuntur et Ammoniacum carbonicum et Sulphur hydrochloratum.

Iis sanguinis systematis mutationibus, quae plura componentia mutata praebent, praecipue Chlorosis adnumerari potest, de qua accuratius nobis agendum est hoc loco. Chlorosis, Χλώρωμα, Illisis, cachexia

virginum, febris amatoria, pâles couleurs etc. morbus praesertim sexus muliebris junioris proprius est, qui in pubertatis periodo oritur, neque peculiares ullas efficit mutationes anatomicas; singulae vero corporis partes diminutum habent colorem atque rubra sanguinis corpuscula imminuta sunt, quae imminutio permagna, quin vero dimidia pars normalis esse potest. Ferrum in sanguinis corpusculis deficiens minus luculenter omnium consensu est probatum, quam supponendum nobis ex opportuno ferri effectu therapeutico. Sanguinis vero quantitas rarissime mutatur.

Chlorosin in veram sive idiopathicam et in symptomaticam discernere possumus; haec symptoma diversissimarum affectionum esse potest et quavis aetate et in quovis sexu prodire.

Symptomatologia chlorosis idiopathicae. Morbus inprimis in puellas invadit pubescentes, neque certis quibusdam constitutionibus terminari videtur, sed inde viduas et robustas et infirmas corripit, easque multo saepius; raro feminae mediae aetatis hoc morbo implicantur. Initium morbi furtim serpit atque cognoscitur pallido faciei colore, viridi mixto, quod signum tam est perspicuum, ut virgines eo laborantes morbo uno quasi obtutu oculorum cognoscantur; maxime porro mutatus est color et labiorum et con-

junctivae. Saepe vero chloroticas invenimus, quarum cutis ruberrimum praebet colorem, quod pendere videtur ex dilatatione vasorum capillarium, quae saepe in chlorosi efficitur turbata sanguinis circulatione. Cutis est frigida, praesertim extremitatum, malarum, nasi; virgines laborantes frequentibus corripiuntur horripilationibus. Palpebrae flavidi sunt coloris, oculus languidus coeruleis circumdatus est circulis, in pedibus saepe oedemata oriuntur, maxime vesperi, quae noctu rursus evanescunt. Pulsus parvus, debilis, frequens est, quod arteriarum contractiones nulla vi fere sunt praeditae, cordis soni sunt debiles, saepe levis systolicus flatus strepitusque et arteriarum et venarum audiuntur (bruit de diable). Circulationis depressio non semper est eadem; quaevis affectio et corporis et animi palpitationes efficit, quae etiam et animo et corpore quiescente redeunt, nec parvo sunt momento, ut chlorosi laborantes timore morbi cordis ad melancholiam animique tristitiam incitentur. Nonnumquam fieri solet, ut continua cordis actionis irritatione anomaliae sint exortae toto in vasorum systemate, hyperaemiae partiales et turbationes cordisque dilatatio. Musculi sunt languidi, respiratio difficilis, asthma, dyspnoea maximaque dormiendi proclivitas. In digestionis organis etiam multae mutationes sunt perspicuae. Digestio est pigra, nec

etiam raro leves cibi non tolerantur: lingua est obtecta, sapor amarus, parvis ex causis vomituritiones atque vomitus ipse prodit, dum alio tempore res minime ad digestionem idoneae feruntur: saepe laborantes vexantur anorexia, cujus locum interdum occupat bulimia et desiderium ciborum insuetorum, praesertim acidorum et acriter conditorum, ut exemplum addam, piperis, aceti: nonnunquam terram calcariam etc. petunt. Saepissime cardialgia adest: complicatio non rara Moroseos est ulcus ventriculi rotundum. Alvi dejectio saepe est retardata, saepe vero diarrhoea invenitur.

Eximii est ponderis status organorum sexualium. Si chlorosis mature evolvitur, antequam genitalium evolutio perfecta est, organa sexualia tum ab evolutione prohibentur, apparent atrophica, sensibilitate sunt imminuta, et aegrotae annis sequentibus coeundi appetitum vel minimum, vel etiam summum ejus fastigium ostendunt. In iis vero personis, quibus jam mature sunt mammae tumescentes pubesque copiosae, quarum coeundi appetitus auctus est, ex menstruatione fere semper copiosa, quae saepe metrorrhagia fit, jactura sanguinis viriumque inanitione chlorosis produci potest. Plerisque in casibus apud chloroticas menstruatio est turbata, anomala, rara, debilissima, sanguis ejectus serosam praebet

speciem, pallidus et aquosus est. Saepe in menstruationis periodo loco ejus molimina intrant, quae efficiuntur sanguine, qui propter causam quandam in corpore vel imperfecte, vel mature exculto retinetur atque colligitur. Nonnumquam et tempore, quo menstruatio exspectatur, haemorrhagia vicaria aliis ex organis intrat, saepissime stillicidium narium. Dolor tumorque ovariorum fere semper adest; item ad abortum propensio. Quod pertinet ad chlorosin symptomaticam, organa etiam virilia sexualia interdum turbata sunt morbusque saepius invenitur in impotentia priorem exaltationem sequente — nimiae seminis ejaculationes. In majore morbi gradu et nervosae et hystericae affectiones apparent; adest animi permagna irritabilitas atque varietas, tristitia, sensationes perversarum sphaerarum et sensibilis et motariae, irritationis status generis diversissimi. Somnus est inquietus, interruptus somniis terrificis; multae aegrotae agrypnia laborant, perturbationes sensuum, scintillatio oculorum, susurrus aurium in iis observatae sunt. Saepissime chloroticae laborant caephalaea violenta, vertigineque, eaque facillime cum hemicrania et Trigemini neuralgia propter similitudinem confundi potest. Dorsi dolores, magna sensibilitas singularium processuum spino-

sorum vertebrarum, praesertim earum, quae ex adverso epigastrii sitae sunt.

Morbus plerumque chronicus fit; fieri quoque potest, ut aliquot post menses ad sanationem se convertat; saepius vero per multos menses, imo annos perdurat; rursus apparet, si aut contentione quadam aut morbis quibusdam intercurrentibus corporis nutritio depravatur.

AETIOLOGIA.

Ratio magna est adhibenda, quid sit in chlorosi primarium et quid consecutivum. In chloroseos evolutionem magnam habent vim inopportunae vitae conditiones, mala sedes atque nutrimentum pravum, commoratio in locis humidis multaque in aqua opera exacta, defectus aëris motionisque, vita sedentaria; praeterea chlorosin efficiunt irritationes animi, onania, sexualium irritatio orta ex phantasia devia et libris eroticis, qui animum valde incitant, animi depressiones, ut maeror, aerumnae, inprimis vero desiderium et quidem desiderium amatoris. Hae causae praesertim in feminis, quae opportunissimis vitae conditionibus utuntur, inveniuntur. Chlorosis diuturnis etiam morbis ventriculi, uteri, systematis nervo-

rum paritur. Praeterea, quamquam rarissime, invenimus eam in puerperio apud lactantes et eas feminas, quae multis et brevibus intervallis se excipientibus partubus exhaustae atque debilitatae sunt. Plerisque in casibus chlorosi puellae quindecim ad viginti annos natae corripiuntur, saepe etiam puellae viginti ad viginti quinque annos natae; hac aetate exacta morbus gradatim imminuitur raroque post quadragesimum aetatis annum invenitur. Tempore pristino, quo multa disseruerunt in libris pathologicis de constitutionibus lymphaticis, de abdominalibus et vasorum et nervorum haesitationibus, peculiaris etiam ad chlorosin efficiendam dispositio supposita est, morbusque praesertim puellas cum spongioso, torpido atque phlegmatico habitu, abdomine tenso, tractu intestinali blennorrhoico, fluore albo, mala digestione corripere dicitur.

DIAGNOSIS.

Ad diagnosin constituendam erroresque diagnosticos vitandos non contemplatio sola symptomatum singularium satis habet ponderis, ut pallidus faciei color, languor artuum, menstruationis anomaliae etc., quae symptomata etiam in anaemia inveniuntur, sed

characteristicum est momentum, quod plerisque in casibus nec succorum nec sanguinis jactura argui potest morbusque inprimis in puellas pubescentes invadit. Quo magis omnia, quae supra commemoravi, symptomata conjuncta invenimus aut magnam quidem eorum partem, eo majore certitudine chlorosin dignoscere possumus. Therapia et ipsa rectam nobis viam ostendit, scilicet si medicamentis adhibitis, inter quae ferrum praecipue nobis est nominandum, morbi phaenomena vel imminuuntur vel plane evanescunt. Quo fere modo ferrum in cordis palpitationibus, quae ex chlorosi oriuntur, utilissimum est medicamen omnibusque in casibus adhibendum, in quibus digestio non nimis est afflicta, dum in palpitationibus, quae ex morbis cordis organicis proficiscuntur, ita omnino est vitandum, quum damnum modo afferat medicaminaque carminativa cordisque actionem debilitantia indicata sunt. In morbis cordis ex chlorosi ortis intelligere porro non possumus, secundum pulmonalem sonum esse fortiorem; strepitus anomalos audimus.

PROGNOSIS.

Prognosis in universum optima est, nisi chlorosis aliis cum morbis complicata est atque cum oppor-

tunae vitae conditiones adsunt; alio in casu chlorosin quidem sublatam videmus, sed non raro postea ex ea tuberculosis atque cardialgia evolvuntur. Exitus chlorosis usitatus vergit ad valetudinem completam, quae interdum post hebdomades nonnullas, vel potius menses, ut jam supra demonstratum est, apparet. Nonnumquam vero nervorum perturbationes plures annos perdurant, praesertim melancholia, hysteria, nymphomania ex coeundi non expleto appetitu nata, cujus remedium solum saepe est commendandum matrimonium. Saepe perducit ad dilatationem aneurysmaque cordis; fieri autem potest, ut excurrat in morbos chronicos cachecticosque, ut in hydropem, Anasarca, asciten, hydrothoracem, phthisin. Pedes sunt tumefacti, item abdomen, diuresis suppressa, perspiratio cutis imminuta, tussis tenax atque sicca, quae vocatur nervosa; saepe purulenta sanguinolentaque adsunt sputa, febris hectica, diarrhoeae maxime copiosae atque debilitantes. Praesertim apud chloroticas, quae humili sunt loco natae, tristes hi eventus inveniuntur et sibi relicti ad mortem perducunt.

THERAPIA.

Indicatio therapeutica prophylactica praesertim eo spectat, ut et corporis et animi regimen regulatum instituatur, vitalitas afflicta erigatur atque productivitas inprimis systematis uterini roboretur. Balnea, corporis et motiones et exercitationes, orthopaedia, simplex et corporis et animi nutrimentum optima sunt tonica remedia, frigidae etiam lotiones immersionesque domi factae maximo sunt emolumento; alios morbos, quibuscum chlorosis saepe complicata est, ut scrophulosis, remediis impugnare usitatis conamur. Commendanda est modica motio in aere salubri, praesertim in aere campestri montanoque. Nutrimentum optime eligitur ex genere animalium, potum aegrotis praecipimus cerevisiam facilem digestu pauxillumque vini. Semper porro nobis est ratio habenda, ne aegrotae somno nimis indulgeant, neve infusum vel theae, vel coffeae largius bibant, neve refrigerationi exponantur.

Semper vero cum cura diaetetica therapeutica conjuncta esse debet. Ferrum hoc loco remedium est et usitatissimum et utilissimum. Ferrum lacticum facillime toleratur; mox vero et ferri limatura optime digeritur. In ventriculi atonia ferrum est conjungendum cum remediis aromaticis, ut cum men-

tha, majorana, floribus millefolii, radice valerianae, in obstipatione cum Rheo aut parvis cum dosibus Aloes. Tinct. ferri pomati atque Extractum pomatum porro sunt remedia, quae optimo cum eventu adhibentur; saepissime ferrum purum praecipitur. Quamdiu ferrum sit adhibendum, quo tempore optime, praeparatum eligendum idoneum, aliis cum remediis conjungendum, desiderant penitiorem et cognitionem et contemplationem morbi et remediorum, quibus est utendum. Qui nescit Martem, nescit artem. Si digestio nimis est debilitata, ferro non utimur, sed remedia amara sunt indicata, ut herba trifolii fibrini, radix gentiana, lignum et cortex Quassiae, cortex Chinae et alia medicamina, quae simul remediis tonicis adnumerari possunt; sublata demum ventriculi atonia ferrum adhiberi potest. Effectus remediorum martialium in eo est positus, ut resorbeantur et digestionem et assimilationem multo meliorem reddant. Multi vero physiologi negant, rubra sanguinis corpuscula recta via ferro augeri. Quae sint praeparata efficaciora sive solubilia sive insolubilia, nondum certo intelligitur; haec vero optime tempore coenandi usitato adhibentur. In numero remediorum optimorum, quae ex ferro praeparantur, ferrum est hydrogenio-reductum atque Ferro-Kali-tartaricum. Ferri salia sulphurica atque chlorata maxime propter effectum

2

adstringentem in chlorosi haemorrhagica, sic in menstruationibus profusis, adhibentur. In universum omnibus in ferri remediis adhibendis id est respiciendum, ut parvis tantum dosibus ea praecipiamus, quod minimum eorum recipitur, leviora primum eligamus, ea cum idoneis aptisque remediis conjungamus atque alia, quae jam supra demonstrata sunt. Ferrum vero non solum adhiberi potest interne, sed etiam externe, idque forma balneorum martialium, in quibus globuli tartari ferruginosi, qui maximam partem compositi sunt e ferro kali-tartarico ad ℥ij—iv, scilicet globuli unus ad tres, qui antea aqua calida diluti sunt, balneo cuidam apponuntur. Balnea martialia fontesque salubres, in quibus praesertim sunt digni memoratu: Pyrmont, Spaa, Schwalbach, Franzensbad, Steben, Cudova, Reinerz, Altwasser, minus sunt efficaces ad chlorosin tollendam propter ferri quantitatem fere parvam, quam propter totum corporis nutrimentum mutatum et secretionem tractus intestinalis auctam.

Manganum etiam in chlorosi adhibitum est; accuratae vero observationes deficiunt: Cuprum porro atque Zincum commendata sunt.

Non est adhibendum ferrum non solum in illa jam supra commemorata magna ventriculi atonia, sed vitandum in tuberculosi et pulmonum et aliorum

organorum, praesertim tractus intestinalis; maxime vero ferrum est rejiciendum in tuberculosi erethica, in qua eodem tempore febris hectica, atque haemoptysis apparent; in tuberculosi vero torpida nunnumquam ferrum aliquo fuit emolumento.

Maximam curam petunt apud puellas pubescentes functiones uteri. In menostasia remedia emmenagoga atque pellentia vitanda sunt; fluor albus, qui fere semper adest, sibi ipsi relinqui potest. Nutrimento corporis toto in universum mutato extractis resolventibus, quae simul pigram alvi dejectionem impugnant, pediluviis acribus, cucurbitulis siccis, quae ad internum femoris latus applicantur, „Junod's Stiefel", si congestiones ad uterum animadvertuntur, menstruatio est provocanda, quae semper est grata, quod chlorosis uteri functionibus vel plane deficientibus, vel insufficientibus sustentatur deteriorque fit.

Liceat mihi academicum hoc opusculum completuro enarrare lectoribus benevolentissimis morbi historias nonnullas.

HISTORIA MORBI I.

Primis anni domini 1865 diebus Maria Reisegert in nosocomium Berolinense, quod vocatur Charité, recepta est. Puella est sedecim annos nata, bene

nutrita, musculis recte evolutis, panniculo bene exculto.

Anamnesis. Aegrota, cujus fratrum unus multum glandulis tumefactis laborasse dicitur, cujus parentes optima gaudent valetudine, refert, se aetate infantis saepius habuisse glandulas tumefactas; postea fere semper sana erat. Anno quarto decimo menstruatio primo apparuit. Postquam menses iterum atque iterum praeter ordinem atque sine dolore apparuerunt, subito sine ulla causa per novem menses ex toto menstruatio cessavit. Quo tempore aegrota, ut jam antea, admodum erat pallida; ceterum hilari animo atque sana fuit. Tempore sequente menses redierunt, semper vero irregulares manserunt. Postrema menstruatio ante quinque adfuit hebdomades. Ante dies circiter quindecim aegrota diutius in loco humido est commorata et in pedibus humida vestimenta, quibus induti erant, siccessere sinebat. Quo ex tempore pedum sudores, qui antea affuerant, cessaverunt, dolor pulsans toto in capite apparuit, aegrota de frequentibus cordis palpitationibus conquerebatur, praesertim inter motiones celeriores et fere semper dyspnoea affuit. Minima quadam contentione fessa omnium artuum paralysin se habere putavit; parvum etiam ad malleolos oedema apparuit. Interdum capitis dolores conjuncti erant cum vertigine et aurium

susurru, quae vitia nonnumquam plenas in asphyxias transierunt. Appetitu semper est gavisa bono, alvi dejectio regularis fuit, diuresis non impedita; urina semper flava fuisse dicitur.

Status praesens. Cutis colorem praebet pallidissimum viridi mixtum; malae plane, tunicae mucosae maximam partem rubore carent; praesertim faciei cutis proprie est pellucida, calida atque sicca. Thorax optima est constructione; organa respirationis nullo modo sunt affecta; cordis actio paullum accelerata; mucronis cordis pulsus in intervallo quinto intercostali intra lineam mammillarem auditur; percussio est normalis; ubique soni clari audiuntur; supra aortam tantum parvus flatus systolicus animadvertitur; super colli venis levis adest strepitus. Apparatus digestionis nullo modo ab integro abhorret ordine, urina fusca est, non sedimentis adumbrata, albumine caret. Cum aegrota aliquantum temporis in lectulo commorata est, non jam oedematis vestigium adest. Nunc quidem capitis dolores desunt; nocte vero postera aegrota valde ex capite se laborasse et quidem in dextro ejus latere, nuntiat. Praeterea etiam oculi dextri scintillationem perpetuam, capitis oppressi sensum artuumque languorem atque fatigationem accusat.

Therapia. Aegrota nocte, quae diei septimo decimo

mensis Januarii successit, jucundo usa est somno doloribusque omnibus caruit. Appetitu fuit praedita bono, siti aucta, sapore bono, lingua non obtecta, nulla alvi dejectione, temperatura 38. 2, pulsu 112. Ferrum adhibitum est et quidem hac forma: Ferri lact. ʒij, Pulv. rad. Rhei ʒj, Mucil. gumm. mim. q. s. ut fiant pill. Nro. 120 D. s. 4 quotidie pill. 2. 19. 1. Extracti Opii grß adhibito paullum dormivit, de vertigine et sensu capitis oppressi conquerebatur. Sitis fortissima, nulla defaecatio.

Die 20./1. Tempore matutino aegrota vomuit; de vertigine non conquerebatur. Extr. Opii grß adhibito bene dormivit. Appetitus saporque boni sunt, sitis aucta, defaecatio non affuit.

Die 21./1. Somnus appetitusque boni, sitis aucta, faeces durae semel dejectae sunt. Vesperi aegrota de capitis dolore vertigineque conquerebatur; capitis dolori horripilatio praecessisse dicitur. Pulsus 128, temperatura 39, 7. Noctu aegrota capitis doloribus vexata est.

Die 22./1. Tempore matutino aegrota vertigine vomituque correpta est, quamobrem sal. commun. ℥ij, Aq. commun. ℥iv, Sacchari ℥ß, alternis horis cochlear 1 praecepta sunt. Appetitus bonus, sitis aucta, lingua non obtecta, faeces durae. Vespere aegrotans ex calore capitis se laborare conquerebatur;

antea frigore affecta erat. Noctu aegrota bene dormivit, frigore non vexata. Capitis vero dolores per totum mensis Januarii diem vicesimum tertium duraverunt. Nocte postera somno jucundo aegrota gavisa est.

Die 24./1. Postquam illuxit dies, vertigo, vomitus, tussisque sicca prodierunt et aegrota in latere dextro cubare non potuit, deglutitio magnis cum doloribus conjuncta fuit; tonsilla dextra paullo fuit turgida. Fomenta antihydropica aegrotae sunt praecepta. Vertigo vomitusque evanuerunt, deglutitionis dolores cessaverunt. Qui status aegrotae proximis permansit diebus et pilulae martiales, quas supra commemoravi, rursus adhibitae sunt. Omnibus ceteris morbi symptomatibus relictis tenacissima sola affuit vertigo corpore erecto et sensus capitis oppressi. Quae vitia duo sensim imminuta sunt atque omnino denique evanuerunt, ita ut aegrota die quarto decimo mensis Februarii in integrum restituta dimitteretur.

HISTORIA MORBI II.

Bertha Lange, viginti quatuor annos nata, die vigesimo sexto a. domini 1865 in idem recepta est nosocomium.

Anamnesis. Aegrota refert patrem, morbo pectoris periise, matrem vero et sorores et fratres sanos esse, item se semper optima gavisam esse valetudine. Faciei color rubrior quidem quam nunc, semper veri paullo pallidus fuisse dicitur. Anno decimo aetatis sexto menses apparuerant, qui semper regulares, sine dolore, sed parci fuerunt. Menstruationis intervallo aegrota semper leucorrhoea laboravit. Semper validam atque sanam se fuisse dicit; ante hebdomadem unam vero sensus intravit lassitudinis, pedes inter eundum sunt tumefacti — tumor fuit pastosus — in quo digitorum impressiones aliquantum perstiterunt temporis; praeterea aegrota cordis palpitationibus et minima quadam contentione angina pectoris vexata est. Appetitus nullus, sitis aucta, sedes regulares fuerunt. Calore aegrota semper caruit. Ante dies duos aegrota doloribus vehementibus in sinistra frontis parte correpta est, qui adhuc adsunt.

Stat. praesens. Aegrota valida est constitutione et bene nutrita; si diutius extra lectulum commorata est, pedes tumescunt; nunc vix ullum oedematis vestigium adest. Cutis est temperatura normali, sicca, colorem praebet pallidum, viridi mixtum, aliquanto pellucidum. Malae rubore carent, tunicae mucosae admodunt sunt anaemicae. Facies aliquanto tumida,

conjunctivae coeruleae. Thorax bona est constructione, status pulmonum nihil ab integro differt. Cordis affectiones hae sunt. Mucronis pulsus fortissimus, non supprimendus; in quinto intervallo intercostali, quattuor extra lineam medianam auditur, cor et costae flexibiles in systole aliquanto prominent. Cordis percussio ab tertio intervallo in latere dextro ad dextrum sterni marginem spectat. In mucrone sonitus duo fere clari audiuntur, quorum primus conjunctus est cum fere longo strepitu et parvo flatu, qui omnibus in cordis partibus auditur.

Item soni supra vasa magna fere sunt debiles; sonus pulmonalis secundus non est crepans. Aortae sonus secundus aliquanto fortior.

Lingua pallida est, non obtecta, nec sitis, nec appetitus adest; abdomen nullo in loco sensibile planum atque molle est. Sedes sunt tardatae. Urina minima pallida est, clara ac aliquanto acida; coctione parvum deponitur sedimentum. Splen costam attingit nonam, hepar non est mutatum.

Therapia. Aegrotae praeceptum est: Sat. commun. ℥vj, Elaeosacchari Menth ℥ß D. s. 2stündlich 1 Esslöffel. Strepitus cordis systolicus nunc auditur in mucrone, maxime perspicuus est in inferiore sterni parte. Primus vero sonus ubique clarissimus est. Colli venae non sunt amplificatae, praebent

vero aegrota cubante levem pulsationem, quae si erigitur, rursus evanescit.

Die 28./2. Hoc est aegrotae praeceptum. Magnes. ust. ℥β. Aq. commun. ℥vj., Syr. simpl. ℥β. D. s. 2stündlich 1 Esslöffel. Bene dormivit omnibusque caret doloribus, nisi acribus capitis. Quodsi aegrota hanc mixturam sumpserat, vomitus intravit. Appetitus nullus, sapor acidulus est, alvi dejectio nondum affuit; urina est flava, quantitas 1100 C. C.; pondus specificum 1010.

Die 1./3. Lingua albo obtecta est intagumento, sapor evanuit acidulus, tempore matutino faeces durae.

Die 2./3. Praeceptum est: Inf. Trifol. (gr. ×) ℥vj, Natri bicarb. ℨij, Sacchari ℥β. 2stündlich 1 Esslöffel. Dolores in sinistra frontis parte Morphii injectione adhibita non cessaverunt neque sunt imminuti. Lingua etiam aliquantum est obtecta, appetitus nullus, una dura defaecatio. Urina est flava, quantitas 510 C. C.; pondus specificum 1012; pauca habet albuminis vestigia.

Die 3./3. Aegrota, quamquam Morphii acet gr. 1/8 sumpsit, agrypnia laboravit; acerrimi capitis dolores affuerunt. Hoc est unguento usa: Veratrini gr. ×, Ung. simpl. ℥j. D. s. Die linke Seite der Stirn einzureiben. Lingua paullo est obtecta, appetitus melior,

tempore matutino una defaecatio aquosa. Urina eadem est qualitate qua neri. Tussis non amplius adest. Turgor pedum oedematosus evanuit.

Die 4./3. Infrictione unguenti velatrini capitis dolores non sunt imminuti. Facies turgidiore est oedemate et quidem sinistra pars dimidia magis, quam dextra. Lingua fere pura; appetitus nullus; die postero defaecatio affuit; urina pallida, 1500 C. C. Sub vesperem dolores sensim sunt imminuti; post nonnullas vero minutas priore cum vehementia redierunt.

Die 5./3. Adhibitum est: Ferrum carb. sacchar. gr. v 4 × täglich. Capitis dolores adhuc eodem modo persistunt. Aegrota perpetuum sentit „Puckern“ in fronte sinistra, appetitus nondum adest; tempore matutino una copiosa defaecatio dura.

Die 6./3. Dolores capitis minores sunt facti. Vespere vero rursus apparuerunt priore cum vehementia. Usus liquoris narcotici ut Aq. Amygd., Acid. hydrochl., solutio Morph. acet. vix per horae quadrantem doloribus aegrotam liberaverunt.

Die 8./3. Propter vehementes capitis dolores agrypnia. Ambo crura in parte posteriore et pressa et sponte sunt sensibilia, sinistrum magis quam dextram, et cutis et musculi. Ad pedem crusque sinistrum infricandum est praeceptum unguentum Kali jod. ʒj, Extr. Bellad. ʒj.

Die 11./3. Sinistra pedis articulatio aliquantum est tumefacta; in sinistro malleolo externo invenitur exsudatum, quod perspicitur fluctuans, nec sponte nec pressum dolores efficit. In pedis motionibus tantum in gastrocnemio et in tendine Achillis animadvertitur dolor, qui augetur, si partes nominatae premuntur. Ceterum perfecta euphoria atque dolores capitis etiam evanuerunt.

Die 14./3. Tumor parvus malleoli sinistri externi adhuc persistit, doloribus aegrota omnino caret. Etiam si diutius lectulum relinquit, oedemata pedum absunt. Phaenomena et cerebralia et gastrica plane evanuerunt. In corde priora animadvertuntur symptomata. Urina est clarissima, copiosa, pondere specifico 1010, reactione acida, nullo albuminis vestigio. Quod valde optavit aegrota, tempore matutino diei quinti decimi mensis Februarii dimissa est eique commendatus est usus Tinct. ferri pomati.

HISTORIA MORBI III.

Ludovica Wellhusen, duodeviginti annos nata, die quintodecimo mensis Aprilis anni domini 1865 recepta est.

Anamnesis. Aegrota, cujus familia sana, aetate infantili semper sana fuisse dicitur. Anno quarto

decimo menses regulares et copiosi intrarunt. Ante unum vero annum interdum ex toto cessarunt, tum rursus apparuerunt; quo ex tempore menstruatio continuo est imminuta atque intervallis brevioribus et irregularibus apparuit. Sanguis emanans clarus fuisse dicitur. Eodem tempore lassitudine artuum dyspnoea, palpitationibus, doloribus dorsi et praesertim ventriculi aegrota correpta est. Sedes saepe fuerunt tardatae.

Status praesens. Aegrota optima utitur constructione, bene nutrita, musculi recte evoluti, item panniculus. Cutis color normalis est, tunicae mucosae pallidae. Thorax bona qualitate nihil ab integro differt. Cordis soni sunt normales. In colli venis strepitus audiuntur.

Lingua paullo pallida et pura est. Epigastrium, si premitur, sensibile, abdomen aliquanto est turgidum atque molle, defaecatio jam per horas duodequinquaginta deficit. In splene et hepate nihil anomali animadvertitur. Urina percopiosa, flava, albumine caret.

Die 15./4. Vitia, de quibus aegrota praesertim conqueritur, sunt frequentes palpitationes, anorexia, corporisque totius lassitudo. Praeceptum est: Ferri carb. ʒj, Opii puri gr. j, Sscchari ʒjj. Div. in part. aeq. Nro. vj; tägl. 1 Pulver Vormittags.

Die 17./4. Aegrota tres jam dies obstructione laborat. Oleo Ricini adhibito vespere diei duodevicesimi quattuor liquidae atque copiosae defaecationes intrarunt. Puella omnibus doloribus liberam languidam tantum se esse nuntiat.

Die 19./4. Aegrota ventriculi doloribus laboravit, epigastrium turgidum non fuit sensibile.

Postquam aegrota hebdomades quattuor in nosocomio commorata est, quo tempore dolores mox erant aucti, mox imminuti, mox plane evanuerant, die vigesimo mensis Maji menstruatio apparuit, quae per dies duos perduravit et tenuissima fuit. Propter hymen, quod adest, vagina explorari non potest; exploratione per rectum exacta cognoscitur, portionem vaginalem admodum spectare ad regionem posteriorem, nec fundum uteri attingi posse. Tunicae mucosae paullum sunt pallidae; supra venas jugulares strepitus non audiuntur. Super corde flatus auditur systolicus.

Die vigesimo quarto mensis Maji aegrota dimissa sana est eique commendatum, ut Tinct. ferri pomati utatur.

VITA.

Natus sum Marcus Margolinski, in oppido Dt. Eylau, die XI. mensis Augusti anni MDCCCXXXIX, patre Simone, quem dira mors jam diu mihi eripuit, matre Rebecca e gente Jacobson, quam adhuc vivam veneror. Fidei veteri addictus sum. Primis litterarum elementis imbutus in gymnasium Marienwerderiense me contuli, quod directore tunc floruit illustr. Lehmann, et per quattuor annos frequentavi. Tum gymnasium Elbingense, quod adhuc sub auspiciis directoris illustrissimi Beneke floret, per duos annos frequentavi. Auctumno MDCCCLVIII testimonio maturitatis accepto academiam petivi Albertinam, ubi a professore illustrissimo Rosencranz, tum prorectore magnifico, in numerum studiosorum academiae Albertinae receptus, ab Ill. Kruse, tum facultatis medicae decano, in album medicorum inscriptus sum.

Docuerunt me: psychologiam Ill. Rosencranz; logicen Beat. Taute; physicen experimentalem, theoriam magnetismi et galvanismi et physicen sensuum Ill. Moser; chemiam experimentalem Ill. Werther; botanicen specialem Ill. Caspary; neurologiam, syndesmologiam, myologiam, osteologiam, angiologiam artemque cadaverum rite secandorum Ill. Burdach; splanchnologiam, zoologiam, anatomiam comparatam atque animalium vertebratorum evolutionis historiam Beat. Rathke; histologiam, physiologiam experimentalem Ill. de Wittich; materiam medicam artemque formulas medicas rite concinnandi Ill. Kruse; chirurgiam specialem, akiurgiam, artem operationum in cadaveribus instituendarum Ill. Wagner; artem auscultandi et percutiendi, pathologiae specialis capita selecta Ill. Hirsch; patholo-

giam et therapiam specialem Ill. Moeller; artem obstetriciam et theoreticam et practicam Beat. Hayn; ophthalmologiam Ill. Jacobsohn; anatomiam universam corporis humani Ill. Mueller.

Praeterea hisce interfui scholis: clinico medico duce Ill. Hirsch; policlinico medico duce Ill. Moeller; clinico et policlinico chirurgico duce Ill. Wagner; clinico obstetricio duce Beat. Hayn et auscultans et aegrotorum curam in me suscipiens.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias habeo quam maximas semperque habebo.

Jam vero tentamine et philosophico et rigoroso absoluto spero fore, ut hac dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia et arte obstetricia honores in me rite conferantur.

THESES.

1. Plerisque in casibus diabetes mellitus ex cerebri laesionibus originem ducere videtur.
2. Venaesectio nullo remedio alio est compensanda.
3. Ruptura perinaei in partu sola forcipe adhibita plane prohiberi potest.